EXEQVIÆ,

Sive

Honores funebres, quibus

ILLVSTRISS. ET TOTO CHRISTIANORUM ORBE CELEBERRIMUM PRINCIPEM AC DOMINUM, DOMINUM VILELMUM

Haſſiæ Landgravium, &c. Dominum ac parentem ſuum clementer ex hac vita dimiſſum, Illuſtriſſ. filius ac hęres Dominus Mauritius Haſſiæ Landgravius magnificentia Chriſtiana piè honorificeque 8. Septemb. Anno cIↄ Iↄ XCII. terræ mandavit:

VBI SIMVL DE ILLVSTRISS. PRINC. vita mortisq; occaſione & genere nonnulla.

Deſcribente

CASPARE STVRMIO, ECCLEſiæ Gutensbergenſis miniſtro.

MARPVRGI,
Excudebat Paulus Egenolphus.

M. D. XCII.

Epitaphium.

Vincla patri demo: pacem colo: mœnia condo:
Arces ædifico: ſidera celſa noto.
Chriſte tibi vivo, tibi ſervio: commoda præſto
Regibus officio Principibusq́ meo.
Sic luſtra abſumo vitæ duodena: ſed eſto
Hoc ſatis, hic patrio nunc requieſco ſolo.

Caſpar Sturmius.

ILLVSTRISS. PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MAVRITIO HASſorum Landgravio, Domino ſuo clementiß.

CUM non ignorarem, Heros illuſtriß. non in eo ſolùm populo, quem heredem ſibi Dominus elegit; ſed in plerisq; etiam gentibus aliis, quas ad humanitatem æquitatemq; aliquam natura informavit, uſu obtinuiſſe, ut magnorum excellentiumq; virorum ex hoc mundo diſceſſus lamentationibus & triſtibus næniis deplorarentur, facere equidem in hoc communi tuæ Celſ. patriæq; univerſæ luctu non potui; quin laudatiſſimum Principem patrem tuum, magnũ ſanè Imperii Romani lumen, cui ad vitam verè perfectéq; beatam, ſola vitæ diuturnioris uſura defuiſſe videtur, carmine aliquo deflerem. Arbitratus autem non indignum fore, ſi cùm illa, quæ celeberrimus Heros præclarè ac laudabiliter geſſiſſet, quoad à me fieri poſſet, attingerentur: Tum verò quæ ſepulturæ officia à tua Celſitudine chariſſimo parenti, quaq; religione & pietate nuper præſtita ſint, ab aliis quoq; cognoſceretur, pro eo, quod datum fuit, tempore, uno ſimul eodemq; labore utrumq; complexus ſum. Hoc verò quicquid ſive carminis ſive laboris eſt, typis expreſſum tuæ Celſ. exhibeo, non equidem, ut quod in Cambyſe certatim olim palpones faciebãt, qui regem adhuc juvenem fortiſſimo digniſſimoq; patri temerè præferebant, aſſentationibus tuæ Celſ. inſidier: ſed ut in paternarum virtutum imaginem, ſive in his rudioribus

ineis lineamentis, ſive in plenioribus aliorum illuſtrationibus depictam ipſe intuens, quàm ſimilimus illius efficiaris, perſuaſus ſcilicet tùm verè beatum vereq́; laudabilem principem te futurum, ſi qua ille indole quibusq́; gradibus in ſolidam veræ gloriæ poſſeſſionem pervenit, iiſdem quoq; Celſitudo tua (ſicut præter ſupraq́; bonorum omnium exiſtimationem Dei benignitate ſingulari hactenus fecit) ad virtutem g'oriamq́; Chriſtiano Principe dignam enitatur. Dominus cæli terraq́; regnator Illuſtriſs. Celſitudinem tuam in hac ætatis & gubernationis ἀκμῇ Spiritus ſancti virtute ac potentia roboret, ut quæ ipſi grata, tuæ Celſitudini laudabilia, nobis verò ſubditis clientibusq́; tuis ſalutaria ſint & utilia, ad magni patris laudatiſſimum exemplum unicè curet & perficiat, Amen.

T. Celſ. humiliter

Subditus

Caſpar Sturmius.

EXEQVIAE.

RES hominum fragiles, & fata regentia mundum,
Omniaq́; hæc, vaſti quæ regia claudit olympi,
Eſſe negant curæ ſuperis cæleſtibus, unam
Qui fortunam oculis captam, tremuloq́; ſedentem
Axe rotæ Divam faciunt, illi omnia vota,
Illi ſpes credunt omnes, illius adorant
Arbitrium temereq́; putant rerum omnia ferri.
Usq́; adeò ignotum eſt illis, qua ſorte, quibuſve
Imperiis pater omnipotens terramq́; fretumq́;
Temperet, ac quantis ſe jactet ad æthera curis.
Nec fruſtra rerum exortus obitúsve revolvi
Fallaci inſtabiles caſu: ſed lege magiſtra
Carpere iter rectum quacunq́; vicesq́; per omnes
Menſuramq́; ſuam ſua pondera noſſe Tonantis
Arbitrio, monumenta tot & tàm ingentia mundo
Impreſſis docuere notis. Stat pondere tellus
Fatali, curſusq́; ſuos ſua limina norunt
Sidera, quæ tota præterlabentia nocte
Dant flammam, tacitisq́; die conduntur in umbris.
Leucothoe roſeo quoties excita cubili,
Purpureos Phaëtontis equos ad lora reducit
Aurea, ſplendoresq́; ferunt juga matutinos.
Nec ratio diverſa aliis in partibus orbe
Eſt toto, quocunq́; oculos animumq́; tuendo
Intendas, ſunt fata etiam, ſunt & ſtata rerum
Tempora, ſunt fixæ leges, ſeſeq́; per omnem

Provida commiſcet molem, impermixta Dei mens
Ipſa ſibi: viden, Aeolios in prælia fratres
Proruere, ingentemq́; mari miſcere tumultum.
Mox ubi ſævitum ſatis eſt, pelagoq́; quierunt
Immites, iraſq́; ſuas ſua fulmina ponunt,
Candida per ſtratum ridere ſilentia pontum
Incipiunt, curſusq́; novos iterum, & nova nautis
Littora reſtituunt: nec opes ſecus aurea ſecum
Tempora. vel referunt jam primum exorta, vel ipſum
Lapſa ſub Oceanum parili merſere ruina.
Hinc ver tellurem reſerat, fatusq́; miniſtrat
Arboreos: tepidi ſata ruris equûmq́; labores
Æſtas maturat Cerealis: pomifer uvas
Antè racemiferas redolentia dona per ulmos
Exprimit Autumnus: redeunt borealia Brumæ
Frigora, tunc ſylvæ foliis viduantur, & acri
Terra gemit conſtricta gelu, paſſimq́; per hortos,
Per montes poſitis moriuntur odoribus herbæ
Dedaleæ, & vacuis ſpeciem decor exuit arvis,
In lucem reditura novam, cùm vere tepente,
Mitior Heſperii ſpiraverit aura Favonii,
Omniparensq́; ſacrum natura recluſerit annum.
Quid? quod agunt fatis etiam rectricibus ævum
Ipſa, quibus dulces animas in ſanguine fudit
Omnipotens rerum genitor, primumq́; laboris
Tantorumq́; operum monumentum, ac mentis imago
Æthereæ divinus homo: ſua namq́; per omnes
Mortales ſtat fixa dies, ſeu in luminis auras
Naſcendo ſua fata adeant, ſeu morte relinquant,
Nil infra metam ſuprà ve relinquitur: Omnes
Meta manet ſua certa viros, quantumq́; videre eſt,
Ad numerum ſurgunt homines iterumq́; recedunt.

Momentis

Momentis per fata ſuis. Tua maximè teſtis
Parca Vilelme mihi, quem nec ſua didita terris
Famaq́; virtuteſq́; ſuæ, ſuaq́; inclyta facta,
Et quæ ſe ſummo pietas æquabat olympo,
Parcarum imperio eripiunt, terriſve morantur,
Dignum adeò in Pylios virtutem extendere fines.
Scilicet hic rerum fuerat modus, hunc tibi finem
Decrevit, ſolidumq́; ſuper connexuit orbem
Fatorum pater, atq; huc, huc, ait, uſq; regendo
Progredere, hic rerum ſuſcepto fine quieſce.
Ergo jaces Heros ter maxime, nec tibi poſthac
Noſtræ aliquid poterunt prodeſſe poëmate Muſæ,
Obſequiumq́; probare ſuum: tamen & ſacra donec
Carmina erunt vatum, totum quæ lecta per orbem
Afficiant, viſentq́; canori Helicona Poëtæ
Laurigerum, haud nullis cantabere verſibus, & te
Umbrifer Eoas celebratum veſper ad oras
Transferet, ac ſeri noſcent tua geſta nepotes.
Jamq́; adeò mea Muſa refer, qua parte labores
Finierit lux *iſta, modis quibus exitus illam*
E terra ad nitidas cæli tranſmiſerit arces
Devinctam ſomno leni. Sua quemq́; per omnes
Munia ſortiri terras, molemq́; trementi
Connixum ex humero propriam geſtare, docet res,
Obloquiturq́; frequens ratio. Veruntamen ipſos
Neſcio, quæ major miſeræ in diſcrimine vitæ
Semideos exercet, agens opera atq; labores
Conditio, tantoq́; magis ſervire coacti,
Ponderibus tremuere ſuis, molemq́; tulere
Ingentem aggreſſi; quanto magis omnipotens rex
In ſpecula primos rerumq́; in luce locavit.
Imperiumq́; addens & majeſtatis honorem

Divinum, divos vocat ipſe, Deosq́; vocari
Præcipit, inq́; loco meritos potiore reponi.
Hinc ſæpe inviſo curarum albeſcere tritu
Et minui citius patet, imbelliq́; ſenectæ
Ante diem tremulos ſumptus accedere canus.
Scilicet ut, mediis qui per maria aſpera ventis
Contendit, veloq́; ratem clavoq́; gubernat,
Nunc tempeſtatum fera murmura, nunc cita cœli
Sidera, & horrifero Oceano ludentia monſtra
Obſervat: non ille animo ſonitumq́; fragoremq́;
Æquoris, aut tumido prius hauſta pericula ponto
Oblitus, nunc Scylla tuos inimica furores,
Nunc Syrtes fugit, & feſſis vada perfida nautis.
Cætera per puppim jacet abdita turba, nec illi
Indulget nullam, poſito terrore, quietem
Mens ſecura ſui, deteſtatiq́; labores.
Ergo illis ſegni obrepit pede tardior ætas
Decrepita, erumpuntq́; albi ſuper ora capilli.
Hunc miſtæ ſtudiis ingentibus, & prece multa
Diſſolvunt curæ, ac labor artubus excoquit ater
Per mentem, per corda means, perq́; omnia membra.
Haud ſecus hi, rerum quibus eſt conceſſa poteſtas,
Perpetuant feſſi curas, truduntq́; laborem
Immenſum obnixi: nec enim ſecura quietem
Indulgent opera, aut rerum permiſſa facultas.
Dumq́; alii ludoq́; vacant, tenerisq́; jocoſam
Ætatem in ſtudiis agitant, cantantq́; bibuntq́;,
Aut leni ſaltem cura exercentur, in illos
Tota ruit rerum moles ſubigitq́; gementes,
Obmerſosq́; poteſtatum vis ipſa fatigat.
Hinc rarus lethi per dulcia tempora frater,
Serpit, & optatum donans opera ipſa ſoporem.

Talis Cattigenæ gentis celeberrimus Heros,
Hactenus haud levibus curis immenſa ferebat
Æger, anhelus, egens requie momenta laborum.
Nec quiſquam tantis majora negotia curis,
Nec quiſquam patrios tanto molimine faſces
Tractarit melius: ſed enim ſat vidimus omnes
Cattigenæ, teſteſq; ſumus, non ille laborum
Impatiens onera in famulos diſtracta referre
Omnia, commiſſamq; fidem ſperare repletam
Officiis, nec chara adeò patriæq; ſuiq;
Immemor, obſcœno data perdere tempora luxu
Nequicquam: ut veteri quondam Babylonis in ora
Nequitiâ, Cypriæq; jocis, luxuq; maligno,
Sardanapalus humum patriam, gentiſq; togatæ
Imperium amiſit magnum, fecitq; Belocho
Aſſyrio Medoq; decus, cùm inglorius alvum
Mollitie ſegni traheret, commiſſaq; rerum
Fræna libidinibus cæcis diſperderet: haud ſic
Haud ſic noſter erat, cui ſemper chara laborem
Diſpenſat patria indubium, ſtudiis ve virilem
Occupat excelſis animum: non mane reſurgat
Aut Matuta prior, vel ſerior Heſperus unda
Mergat equos Atlantide, quàm prece functus ad acres
Cenſuras operum rerumq; examina prima
Cingitur Aurora, & tandem ſub veſpere ſero
Dimiſſus, gravibuſq; gemit defeſſus habenis.
Ergo nunc primus cauſas audire, reoſq;
Mulctare, & placidis virtutem pendere verbis.
Nunc peragrare ſolum patriæ ſapienter, & ultrò
Nutantemq; fidem, lapſuraq; jura tueri
Utiliter, legumq; ſacrum munire favorem.
Tùm fundare arces etiam, & nova tecta locare

 Aggeribus,

Aggeribus, cæloq; novas educere moles,
Quis Martem domet, & patriam in diſcrimine ſervet.
Hæc ita: ſic magnus quondam ſub fata Philippus
Ultima mandarat, cum cura feſſus & annis
Hanc patriam, hos fortes nato committeret Heſſos.
Qualis jam ſenior curisq; gravantibus æger
Navita, qui toties Neptunum & inhoſpita vaſti
Oceani vada permenſus, nunc mandat habendum
Omne gubernaclum nato, pariterq; volentem
Conſilio dictisq; regit, nunc ſidera cæli,
Nunc tempeſtatumq; hyemem ventosq; furentes
Edocet, ac tumido quæ ſit fiducia Ponto
Admonet, ipſe memor quantis ſe miſceat æquor
Vorticibus, quàm monſtra modis horrentia miris
Ludant, & cano latrans maris impetus æſtu
Spumeus, everſamq; ratem èverſosq; triremes
In mare proturbet ſubitum, fundoq; reponat,
Ni labor & ſolers facilem prudentia curſum
Dirigat, ac placidi adſpirent in carbaſa venti.
Hæc nato dederat genitor mandata Philippus
Si ſacra, ſi latis ſparſas ditionibus urbes
Dirigere imperio, & certam ſperare ſalutem
Optet, & æternis famam exæquare triumphis.
Nate tibi curæ in primis ſit numen, ab uno
Numine per gentes ramum felicis olivæ
Pax gerit, hoc tutis ſerit arva nitentia ſulcis
Hoc regum ſtabilit ſolia alta, ducumq; quietis
Imperiis favet, & longos ea durat in annos.
Tum verò tibi templa (inquit) tibi Apollinis artes
Caſtalii, doctasq; novem commendo puellas.
Hinc tibi laus omnes terrarum extenta per oras
Ibit, & hanc tecum referes ſuper æthera gentem.

Hæc

Hæc illi pater: at monitis non ſegnior iſtis
Paret ovans animis, & jam delubra ſacraſq;
Inſtaurans meritis cumulabat honoribus aras.
Cum ſimul aoniumq; nemus nemoriſq; ſorores,
Lætus ad exemplum patris tutatur: at illi
Pegaſides pulchram referunt in ſecula laudem.
Tunc verò patrias urbes, patria arva doceri
Fortius, & myrtho paſſim lauruq; videres
Creſcere humum: nec jam apparere diutius hydræ
Colla Meduſææ aut crinem; ſedet ipſa pudore
Barbaries tremefacta, tenent ſacra regna Camœnæ
Et Muſis conjuncta fides, & doctus Apollo.
Nec minus aulai proceres ſanctumq; ſenatum
Conſcribit, qui jura fori ſanctamq; profeſſi
Aſtræam, placidis patriam moderentur habenis.
Ipſam autem fulgentem auro poſitamq; ſedili
In niveo Divam, gazaq; & divite dono
Accumulat, gladiumq; illi ſacramq; reſervat,
Quæ rerum cauſas, quæ ponderat æra, bilancem.
Sæpius hic inter juſti ardentiſſimus unus
Stat medios, voceſq; haurit, nutuq; volenti
Annuit, ac proprio aſſenſum munimine ſignat.
Nilq; adeò gravium regali in ſede laborum eſt,
Cui pondus, cuiq; emolumenta, laboriferæq;
Fortunæ vel opes, vel opes virtutis amatæ,
Quin & conſilii medius, mediuſq; laborum
Interſit, cauſæq; animum intermiſceat omni.
Talis Atlas quondam ſtellis fulgentibus aptas
Ferre plagas cæli ſolitus, cui ſola voluptas
Uxor amata Pleon & Atlantides æthere notæ,
Torquet agens cælum interea, vaſtoq; gemiſcit
Pondere, tùm tremuli crepitant ſub mole lacerti,

Extertaq; ſonant vires: ſic ille laborem
Immenſum urgentem torquet, cui ſola quietem
Teccia progenies, placidiſq; ſimillima Divis
Aſpirat, mulcetq; animos divina Sabina.
Digna equidem cui longævæ data regna Sybillæ,
Sed natura negat, tantumq; invidit alumnis
Cattigenis Libithina decus conditq; ſepulchro.
Heu quantum divo Heroi mors funere tali
Detrahis, & propriæ ſævis in viſcera vitæ.
Reſtat adhuc aliquod ſolamen, reſtat in illo
Mauritius, teneraq; novis Heroides annis
Quattuor, hic charæ obverſatur imago Sabinæ
Conjugis, hic patris & propriæ veſtigia formæ
Virtutiſq; notat: dant cætera cuncta dolores,
Dant curas, animumq; operis mortalibus urgent
Sollicitum; primæ donec ſpatia ægra ſenectæ
Sexaginta annos volvunt, nec longiùs illo
Tempore ſufficiunt vires, alimentaq; paſtu
Paulatim occumbunt hauſto: ceu flammea multam
Evincunt noctem funalia, dum tener humor
Dumq; alimenta ſuperfuerint, manſitq; caloris
Ignea temperies: poſtquam autem humore ſoluto
Humida frigiditas, vel inexpugnabilis ardor
Emicuêre modum ſupra, nexumq; reſolvunt
Vitalem, fugêre animæ, fugit ipſe per auras
Spiritus, & laxo patrium ſubit æthera curſu.
Ergo dies aderat, quo conſcia fata volentem,
Et dulces obitus vitaq; extrema petentem,
Eriperent feſſum curis, caloq; locarent
Purpureo, patrias ipſo ſub fine per urbes
Invehitur prius, & natalia rura ſalutat:
Dii patrii, & quondam quæ regna quieta tenebam,

Dum

Dum Deus & natura dabat, nunc terminus hæret
Ultimus, & me Fata vocant, vos deinde valete,
Ac patriæ ſervate ducem, ſervate parentem.
Sic ait, & ſeſe deſerta ad mœnia rurſus
Inde refert, cui ſumma nigræ nunc ſtamina Parcæ
Paulatim revoluta trahunt, vocat ordine natas,
Syderei quibus oris honos & gratia morum
Mira, pudorq́; ſedens iucunda in fronte Dearum.
Illæ adſunt juſſæ pariter, magnoq́; parenti
Mollia fœmineis acclinant corpora nervis.
Ipſe ſacro infuſus per membra decora lacerto
Dulcia odoratus interſerit oſcula malis.
Tum menſa invitans Bacchi de munere libat,
Fortior ad nutum: ſed enim porrecta dolorem
Frons premit, at lethi ſedet intus lucta propinqui.
Hic verò dulci affatu per multa moratus,
Plura ſuperq́; atavis memorat, ſuper Haſſide multa:
Ac domus in quantas ſe attollat Teccica laudes:
Unde genus maternum, & avi per ſecula priſci:
Addit opes, addit pietatem auguſtaq́; facta.
Hæc imitentur, in his diſcant ſperare ſalutem.
Solus abeſt, atq; ô minus horum ignarus abeſſet
Mauritius, ſolum hunc vocat, in ſoloq́; moratur
Mauritio, hic columen patriæ; nunc alter ab iſto
Tu patre, qui pulchris patriam defendere curis,
Et bello diſces pacem præferre, ſed arma
Arma etiam, ſi fata velint, inimicus & hoſtis,
Exercenda tibi, & duro Mars horridus ære.
Sed jam ſumma dies in limine ſederat, & jam
Parcarum properata dies, cùm cuncta per aulam
Nigreſcunt, notiq́; parum patuiſtis amici.
Vox ſua quenq́; magis famulum proditq́; docetq́;

 Acciri

Acciri lectos proceres jubet, atq; ita fatur:
Vos, quibus eſt patriæ, proceres commiſſa poteſtas,
Quoſq́; nec antiquæ quiſquam virtutis egentes,
Nec fidei expertes ſolidæ arguat: hactenus orbi
Viximus, & paucis tot geſta peregimus annis.
Nunc caput hoc placidæ, certum eſt, permittere morti,
Et nato tantas vobiſq́; relinquere habenas.
Solvor, & ad patrium paulatim accingor olympum.
Vos ſolitæ, ut ſemper, memores fidei atq; laborum,
Et natum & patrias ſervate fideliter urbes.
Sic gentem egregiam, ſic vos ſervabitis ipſos.
His ſimul incubuitq́; thoro, juſsiſq́; vocari,
Qui prece concepta feſſum votiſq́; patratis
Solentur, ſic ipſe Deo vitamq́; animamq́;
Commendat: Tibi ſancte pater, tibi patris imago
Æternæ exuvias tenues, umbramq́; ſoluti
Corporis, inq́; atras redeuntia membra favillas,
Credo iterum, tu me ſervum miſerare jacentem,
Tu me his exolve à vinclis, animumq́; paratum
Exire, in patrium clemens iterum accipe cælum.
Plura ſopor prohibet: nam molli tempora ſomno
Grata quies illi, licet ultima, vinxerat hic ſpes
Affore, quæ preſſam requies per membra ſalutem
Irriget, ac reduces jucunda recolligat auras.
Namq́; rubor ſolito major ſuper ipſa jacentis
Venerat, & roſeis rubefecerat ora labellis,
Pallenteſq́; genas vivaci infecerat igni:
Sed non & lethi diſcrimina pellere, & ipſam
Luctantem ſpiramenta inter ſumma tueri
Evaluit vitam, ſed et ultima corpore toto
Nunc anima, & ſummo ſolvuntur membra rigore.
Clarus ubi halantem vates è pectore vitam,
Paulatim roſeo diſcedere ſenſit ab ore.

Et felix morere (inquit) & hæc ſolatia tecum
Fer Princeps invicte, ſatur rerum omnium & orbis
Per te Chriſte patri redeo, patriamq́; requiro
Per te, perq́; tuam mortem, tua vulnera partam.
Nemo foras, duce te, propellitur, hac ego vixi,
Hac diſcedo fide: ſic dixit, & ultima preſſit
Verborum vates veſtigia, viſus at ille
Velle loqui, & Chriſtum voce implorare: ſed unum
Hoc ſupereſt, ſimilis victori ipſamq́; tenenti
Jam palmam gaudens moritur, temptoq́; doloris
Inſultu, dextram prendit monitoris, & altè
Sublatam torquet validè: hæc ſuprema triumphi
Nobilis argumenta fuêre, ſed & pia rurſum
Lingua loqui & Chriſtum eniti, cum voce ſub ipſa
Vita cadit compreſſa, viamq́; emiſſa per auras
Ad cælos, anima ipſa legit, quam nectare dulci
Et ſaturam Ambroſia ſacra, ſuper æthera caſti
Alituum vexere chori, quos inter honoris
Luce coronatus multa, faciemq́; parentis
Et nati videt intuitu æterno: Salve optime Princeps,
Salve Heros, tibi nunc tellus, tibi ſubditus æther
Paret, & æterni veniunt ad vota triumphi.
Exuvias lecti proceres auleq́; dynaſtæ,
Inter ploratus miſeros, interq́; ululatus
Componunt ſtrato in niveo, properantibus adſit
Donec equis, patriasq́; citus rheda advolet arces
Mauritius, qui cum Aſcanio tùm principe princeps
Ipſe peregrinus terra vivebat eadem,
Ignarus veniſſe diem, qua maximus Heros
Corpore deficiens magis ac magis hactenus, hora
Solveret extremæ ſpacium, ſolioq́; relicto
Placata ſuperas in morte relinqueret auras.

At

At verò ut ſumma confectum morte parentem,
Ut thalamos, ut membra modis pallentia miris,
Utq́; oculos, utq́; ora videt, quibus ante ſolebat
Et rapere alternis & figere baſia labris:
Haud ſatis abſtinuit, quin colla jacentis & ora
Involet amplexu mœſto, libetq́; paternis
Oſcula ſueta genis, tùm ſic mœrentibus ipſum
Affatur lachrymans verbis: vos lumina, vosq́;
Dulces exuviæ, tuq́; ô fortiſſima cœli
Parte recepta patris virtus, quæ in ſorte laborum
Deſeritis juvenem, & mortalia temnitis ultrò?
Haud ita credideram, quam vis confecta videri
Ætas, & crebris potuiſſent robora curis.
Sic ait at lachrymæ abſiſtunt, imbremq́; ruentem
Ora bibunt, ſed enim ſedet altè vulnus adactum
Pectori, & attractu vires gemuere profundo.
Dum thalamos intra ducunt, jubet ipſe jacenti
Purpureos habitus, & dona noviſſima regum
More ſacro inferri, patriumq́; accingier enſem,
Obrizo quem totum auro argentoq́; rigentem
Antè tulit, ſævis quondam geſtamen in armis
Hoc fuit, hoc pacem præfecit civibus almam.
Multaq́; præterea è tota dona aggregat aula,
Quæ neq́; carminibus paucis numerove referre eſt.
Interea luctus creſcit, paſſimq́; per aulam
Ter centum nigro famuli velantur amictu,
Qui decorent, ſummumq́; Ducis comitentur honorem:
Dumq́; volant clauſæ per compita ſingula ceræ,
Quæ tumulo cogant paſſim invitentq́; vocatos,
Omnia conticuère, ſedetq́; in limine triſti
Mæſtitia, at tota pallens dolor excubat aula.
Jamq́; adeò Heroi certum dare tempus humando

Præcipitant

Præcipitant triſtes curæ, & lux ipſa propinquat
Non alba, aut roſea ora ferens, nec lumine quali
Cattigenûm exoptent primi cupiantq́ minores,
Qua pius & meritis felix ingentibus Heros
Conditur tumulo, & pompam de more decentem
Indigenæ inſtaurent Catti, interſintq́ parentis
Funeribus, gelidiq́ ferant data ſigna doloris.
Conveniunt terræ primates Cattide tota
Exciti, quibus arma ſonora paterq́ Gradivus
Nobilitas; vel fama ſacras quæſita per artes,
Cultores nemoris ſacri doctæq́ Minervæ.
Tùm quibus aut cenſum legere, aut dare jura per urbes
Egregias, patriamq́ aliquo ſervare labore
Commiſſum, chari ſic magnus honore parentis
Mauritius fieri mandaverat: ocyus adſunt
Omnes lugubri præcincti tempora vitta,
Omnes dant gemitus, & ineluctabilis omnes
Mæror agit, preſſisq́ terunt præcordia palmis.
Poſtquàm ſigna dari incipiunt, totamq́ per urbem
Incendi clangor miſerabilis, ac ſua turri
Quâlibet æra ſonant, mox ad regalia tecta
Quisq́ prior fluit, & manes expectat heriles
Veſtibulo, largoq́ humectat flumine vultum.
Interea aulai medio & penetralibus ædis
Regificæ, quò Mauritium divasq́ ſorores
Convenère duces ſolatum, maximus oræ
Haſſiacæ ductor Ludovicus, & alter eadem
Stirpe potens, eadem arma tenens eadem arva Georgus.
Waldeciæq́ Comes Franciſcus, & à patre natus
Illuſtri Sulmone Erneſtus, & aurea pubes
Nobilium, divæq́ ducum natalibus ortæ.
Biſſeni hic juvenes, fortiſſima pectora bello,

 Et

Et totidem adducunt humeris, curruq́ reponunt.
Curru, quem æripedes octo duxere caballi
Impoſitus tecti velis nigroq́ decori
Syrmate, quod lato terram quatit undiq́ limbo.
I. Ordo, quem moderatur Burchardus à Treuſch. Ergo in proceſſu primo, dùm magnus ab aula
Progreditur rerumq́ ſatur vitæq́ Vilelmus,
Aonii incedunt pueri, puerûmq́ Magiſtri,
Quos pulchrè æquatos numero & ſua dona ferentes
A tergo excipiunt alii, gradibusq́ ſequuntur
Centum ſelecti & notæ virtutis ephebi.
Qui cantus carmenq́ ferant lugubre; ſed omnes
Rector cęteriq́; Præceptores & ſcholaſtici cùm omnes, tùm illi, qui veſtitu lugubri induti cătus initium fecerunt. Hos Heros nigro pariter velarat amictu
Mauritius, memoresq́ patris jubet eſſe Vilelmi.
Illi lamentabile carmen vocibus edunt
Vix ſtreperis, quantumq́ potens in voce facultas
Nuper erat, docto nuper certaſſet olori;
Nunc luctu tardante tamen, gravidumq́ premente
Pulmonem, via ſtricta gemit, preſſoq́ ſonore
Aſpera raucorem dant murmure guttura triſti.
Quales ferali quondam ad vada Strymonis ore
Threiciæ gemuère grues, cùm rege perempto
Pygmæos fugere truces, perq́ avia raptæ
Ignoratarum pendent regione viarum.
Idem animus, doctis eademq́ in voce Magiſtris
Duo Miniſtri Eccleſiaſtici. Plaga ſedet, vexatq́ pios adverſa miniſtros,
Qui duo præceſſere ducem hac ſtatione Vilelmum.
Haud procul à Muſis locus inferioribus alter,
Muſici & Cantores, &c. Proxima fert altis ſed adultis agmina Muſis,
Quæ cantúve ſacro, inſtrumentorúmve tenore
Harmonico, modulisq́ & dulcibus intervallis
Argutas domino illecebras peperere Vilelmo,
Curarumq́ quiem toties in turbine rerum

Aſſudere

Affudert, ſacriq́ accincto ad munera templi
Cordatum haud duris animum fecere loquelis.
Hic chelyn Amphion reſonam, facundus Arion
Sambucum, cytharamq́, pater miſerabilis Orpheus
Deſtituit, vocumq́ decem diſcrimina ponit
Dulce ebur argutæ teſtudinis, & lyra quondam
Docta Meduſeæ carmen miſcere Thaliæ.
Quin Phœbum & teneros imitantem gutture cygnos
Aſpicias cœtum, mœſtos circumdare vultus,
Oraq́ lugubri vocalia claudere pallâ.
Jamq́ ducem deflere ſuum, cui carmina centum
Cui centum liquidos misêre per atria cantus,
Sive ſono mallet vario, ſeu ſimplice, ſed nunc
Ora tenent, dominiq́ ſonos in morte relinquunt.
Heu chelys, heu cytharæ faciles, heu carminis auræ
Facundi, heu plectris nervi & reſonantia nervis
Plectra, meloſq́ lyræ tenerum, cygniq́ loquaces,
Quando erit ut veſtris iterum ſonet aula triumphis
Lætior, & feſtis plaudant aulæa theatris?
Sic taciti muſſant ſecum. Quos paſsibus ægris
Myſtarum reverenda cohors gemituq́ profundo
Inſequitur lachrymans, quibus atrum lurida luctum
Fortiùs ingeminat Bellona, animoſq́ trementes
Concutit, horribiles per Teutona regna tumultus
Commiſcens, Furiæq́ atræ, ruituraq́ in ipſas
Religionis opes ſacras, ſtragemq́ daturæ
Alecto, niſi proſpiciat Deus, & niſi ſurgat
Alter, & arma premens & miti pace Vilelmus.
Heu quod præſidium Germania perdis in illo
Principe, quæ ſacris decedit gloria rebus.
Poſtquàm meta chorum primum dimovit aper 'a
Planitie, & modicum ſpacii tellure relictum eſt;

Superattendentes & Eccleſiarũ miniſtri ex urbe Caſſellana cæteriſq; vocati.

II. Ordo, quem dirigit Crato Melchior à Madelungk aulæ Mareſchallus.

Tum ſuper adventare alii, cœtuq́ frequenti
Regificum fletu deducere funus acerbo.
Hic, quibus ære cavo ſtudium eſt, lituisq́ ſonoris
Tubicines. *Ante ducem, ſeu bella vocent, ſeu pacis amatæ*
Tempora, terribiles incendere cantibus auras
Incedunt, mutisq́ dolent in funere conchis
Septeni numero, tuba cuiq́ per ardua nigro
Brachia geſtatur velamine, concolor ipſos
Veſtis obit, totosq́ tegit ſuſpenſa per artus.
Hos ante Idæis Corybas nutritus in antris
Cymbala de fuſco ſuſpendit ahenea collo
Tympaniſtæ bellici. *Æthiopum ſoboles, juxtaq́ aſperrimus alter*
Neſcio quis Cybeles cultor: ſæpe illa cohorti
Martigenæ agricolisq́ metum ſonitumq́ dederunt
Terribilem, aut lætæ reboarunt ſedibus aulæ.
Nunc velata dolent etiam, fremituq́ ſilente
In nova terribiles vertere ſilentia bombos:
Serica per totam funduntur carbaſa molem.
Proxima poſt Martis terrentia ſigna juventus,
Nobiles tum peregrinitũ patrii, qui vel per Haſſiam hinc inde convenerunt, vel aulam hactenus ſecuti ſunt. *Nobiliumq́ manus ſequitur robuſta virorum,*
Qui bella audaces nuper pugnamq́ calentis
Sanguineam experti Martis, nunc deinde quietâ
Diſperſi in patria coluerunt otia tuta.
Centum habitant arces magnas, ubi ditia ruris
Paſcua, lanigeriq́ greges armentaq́ centum
Sufficiunt victum ingentem, requiemq́ laboris
Indulgent feſſis Mavorte, vel ad Ducis adſunt
Imperia, & patria primi famulantur in aula.
Nobilium flos ipſe virûm, pariterq́ parati
Sive fori cauſas diſcernere, opemq́ jacenti
Ferre reo, Themidis virtute opibusq́ paratis
Divitis ingenii, ſive inter regia tecta

Aut epulas præferre manu, patriſq; Lyæi
Bacchica de gelidis libamina fundere cellis.
Aut prærupta cavis in equo juga ſcandere ſilvis,
Præcipitemq; fuga volucri prævertere cervum,
Aut tumidos terrere canum latratibus urſos.
Sive plaga tenui vapidam comprendere vulpem,
Seu leporem exanimum, vaſtatoremq; paterni
Ruris ab horrendis excire cubilibus aprum.
Talia quisq; Duci, fuerat dùm vita, Vilelmo
Obſequia obtulerant faciles, ad juſſa parati
Omnia; jamq; mori potius lethumq; paciſci
Præ vita exoptent certi, quàm fida recedat
Permiſſi cuſtodia corporis, & ſua quenquam
Arguat officii immemorem infidumq; facultas.
At nunc ſi quis honos, ſi quis ſuper ullus humando
Eſt labor, impendunt triſtes dolor intus & acer
Mæſtitiâ ſtimulat luctus, gemebundaq; pulſat
Corda pavor: ſed palla foris ſedet atra per artus
Egregios, nubemq; volantia ſyrmata ducunt.
Et ſua cuiq; nigra eſt, vitta & ſua tæna decori.
Hos ſuper ipſe gravis gradibus, luctuq; decenti
Ingentemq; ferens oculis & fronte dolorem
Keudelius ſubit, aonia doctiſſimus arte, Proprinceps.
Tamq; animi virtute potens, opibusq; Minervæ
Doctiloquæ, & gratæ facundo fulmine linguæ,
Quàm genere & veterum propagine clarus avorum.
Hoc cum partiri Princeps Proprincipe curam,
Dimidiumq; oneris tanti rerumq; ſolebat,
Virtutis memor antiquæ fideiq; probatæ.
Hinc illum Berlipſch comitatur: at inde Bremerus
Jam ſenior, vittasq; ſuas ſua pallia geſtant
Protenta, ac multum referunt ſuper ore dolorem.

Illuſtre principis funus.

Hinc verò auguſto in cœtu miſerabile funus,
Ipſeq́; tàm mæſtæ pariens ſpectacula pompæ,
Cattorum nuper præſesq́; paterq́; Vilelmus
Nigranti invehitur curru, bis quattuor illum
Deducunt tecti cervicem & lata caballi
Corpora, compoſitoq́; ferunt veſtigia greſſu.
Hinc atq́; hinc poſiti comites, qui flectere greſſus
Directos, doceantq́; ſuis conſiſtere metis.
Tardè incedebant omnes, gradibusq́; repreſſis
Molliter Heroi in ſtrata famulantur arena.
Ipſe vehit, patriaq́; volens excedit ab aula,
Tàm rerum curaq́; ſatur, quàm mobilis ævi,
Quàm patriæ cupidus veræ, quem ſtannea moles
Intus habet comptum gemmis auroq́; coruſcum,
Purpureoq́; habitu, qualem Ducis eſſe ſereni
Majeſtas jubet, & fortuna benigna requirit.
Circum quaq́; volat tincturæ lana Britannæ,
Quæ per humum paſſis perq́; aera funditur alis.
Purpura ſed ſummo conſtrata in margine, multa
Parte tegit, medioq́; crucis ſigno albicat orbe.
Vix primum attigerat limen, primumq́; videri
Cœperat umbra ducis, magnamq́; reliquerat aulam,
Tùm verò gemitusq́; virûm, matrumq́; ululatus
Audiri, ſtridet lachrymarùm pondere cœlum.
Pro ſe quisq́; ducem patriæ, patriæq́; parentem
Dùm ſequitur, turbasq́; volat vox iſta per omnes.
Heu quantum miſeri decus hoc in funere, quantum
Cattigenæq́; duces, Cattorumq́; omnia regna
Perditis auxilium. Sed quo nunc, morte peremptum
Officio? quibus obſequiis, animisq́; parati
Diis genite excipimus? quósve hæc in funera luctus
Conferimus? placeat ſaltem non dura voluntas

Has

Hæc tibi, & inferiæ triſtes, quis gratia factis
Penditur exigua innumeris. I nunc decus, i nunc
Addite Diis ſuperis; nos nulla coarguet ætas
Immemores, tantæve abolebit munera famæ.
Procedit Princeps, quem cultu nigra profundo
Circundat, verſusq́; gerit de more bipennes Satellites 14.
Fida ſatellitii manus, olim hæc ſueta Vilelmum
Magnanimum per rura ſequi vallesq́; profundas,
Mensaq́; hæc patriæ quæ fortia condidit oræ.
Mortem indignantur ſolitum. ponuntq́; feroces
Dejecti mœrore animos, nigra palla nigerq́;
Pileus ingentem produnt in corde dolorem.
Nec deſunt acie in tali juvenesq́; viriq́;
Bis deni numero, numeroq́; minore quaterni, Viginti quatuor armamentarii principalis ministri.
Ad bellum ſelecta manus, crudelia norunt
Prælia, & immanes tumidi fremuêre per hoſtes.
Nunc clypeos frameasq́; atq́; æra ſonantia cudunt
AEde patris Vulcani, ubi grandia fulmine centum
Diſplodunt tormenta, ſonosq́; imitantur Olympi,
Fulgure cùm rubuit cælum, factoq́; fragore
Horrida terribiles misêre tonitrua voces.
Haud procul & parvo Dominum miſer intervallo Decumanus ſive caballus Princeps.
Exanimem inſequitur ſonipes, non jam ille nitenti
Feſtivus phalera, nec lora luposq́; ſonantes
Oſtentans, Tyriis vel ephippia lucida gemmis,
Quis nutus nuper manſuetus obibat heriles
Pulchrior, & ſociis inſignior omnibus unus.
Serica per totum teges errat corpus, & artus
Inſignes obit atra; premit ſub corde dolorem
Ipſe gravem; tacitum referunt veſtigia luctum.
Ad latus acris equi nigranti in ſindone fertur
Hinc gladius bellator, at illinc fortis arundo, Gladius.

Qua

Scipio. *Qua niti ſenior curisq́ ingentibus æger*
Sueverat, & rerum diſcrimina ferre ſuarum.
III. Ordo, quem gubernat Ioannes Riedeſel. *Hic verò dictu haud facile eſt, quo pectore quáve*
Mæſtitia, ingenuis Heros fortiſſimus auſis
Mauritius Haſſiæ Lantgravius. *Mauritius nimioq́ animum labefactus amore,*
Inter ſingultus inter gemitusq́ doloremq́
Illuſtrem genitorem & pallida funera letho
Proſequitur lachrymans, cui longis infula velis
Serica per terram trahitur, lateq́ patentem
Verrit humum; caput egregium crinesq́ decoros
Tænia longa tegit, vultumq́ gementis & ora
Obnubens ſacros volitat demiſſa per artus.
Incedit, lachrymansq́ ſacrum comitatur honorem,
Haud animo qui nuper erat, cùm vita parenti
Magnanimo, illuſtriq́ vigens in corpore virtus
Sufficeret, ſolioq́ ſuper lætiſſimus ipſe
Dilectæ ſolitas patriæ tractaret habenas.
Non tùm cura ferox, non tùm infelicis imago
Lurida terrebat lethi, ſed lætus & exors
Triſtitiæ, gravibus paulatim adſueſcere rebus
Fortiter, exemploq́ patris, magniq́ Philippi
Maturos ingenti animos adhibere labori
Incipit, & partes mentem diffundit in omnes.
Nunc lachrymæ & triſtes gemebundo in pectore curæ
Evigilant, ſparſæq́ ſedent ſuper ore querelæ,
Lucis ob occaſum tantæ. Proh qualia vota
Hæc pro luce dedit toties, ne forte tenebris
Ante diem occideret moriens, lumenq́ quod ingens
Vivificumq́ dabat natoq́ ſoloq́ paterno
Eriperet ſecum, & gelida ſubduceret umbra.
Nil potuere preces caſtæ, potiusq́ quod ipſi
Regnatori hominum ſummo, fatisq́ ſupremis

Colli-

Collibitum evaluit tandem, ceciditq́; ſupremum
Heroi patriæq́; decus, lapſumq́; ſub umbras
Jucundas, triſti miſeros in nocte reliquit!
Hinc dolor & queruli divo ſub pectore luctus,
Hinc lachrymæ, & tacitis ſuſpiria reddita verbis!
Men' etiam tanto juvenem ſervare dolori
Cœlitibus viſum magnis? me in mole relinqui
Ingentis patriæ? non hæc ſperata ſepulchra,
Non rerum novitas, ſic fatur: at inter eundum
Pollutum mœrore animum ſolantur avitæ
Virtutes, ſolatur avus, magnumq́; parentis
Diviſum in terris decus, & poſt fata ſuperſtes
Gloria: tùm propriæ floremq́; genusq́; juventæ
Virtutemq́; adhibet reputans, ſubit indolis altæ
Inſita vis, ſubeunt regnumq́; & regia virtus,
Pieridesq́; novem, & niveo ſapientia plauſu
Ante annos ſubvecta polo: Deus has Deus illi
Magnanimo inſevit victuras pectore dotes,
Præſidium Cattis magnum multisq́; futurum.
Hac ſe dote lubens reficit, memoratq́; faventis
Dona Dei gratus ſecum, ſi forte dolorem
Diminuat, gemitusq́; parùm ſub corde reſidat
Mitior; at magno pietas aſſueta Parenti,
Et calor, & nunquam tanti moriturus amici
Obſtat amor, ſubitoq́; iterum intermiſſa tumultu
Mœſtities ſub corde renaſcitur, acer & illi
Verbera congeminat pulſans ictusq́; faceſſit
Inſultus: turgent venæ, pulſataq́; fletu
Largiter effuſo madeſiunt lumina rivo.
Ad dextram Herois mœſti, miſerumq́; gementis,
Haud minor inſignem Ludovicum luctus habebat, Ludovicus Haſſiæ Lantgravius.
Haſſiacæ ſidus gentis, multa ille volutat,

Nunc repetitq́; ſuper defuncto dulcia fratre,
Quæ pueros, quæ vincla ſenes, & quis ſtatus ambos
Florentes opibus, florentes moribus ambos
Vinxerit, & caſus concordia fida per omnes.
Tùm quoq; virtutemq́; viri famamq́; manentem
Circuit, & magna mœrorem indagine paſcit:
Quoq; magis tantæ virtutis imagine gaudet,
Fortius inſultat dolor excreſcitq́; tuendo.
Ut cum Hyperboreis Aquilo ſæviſſimus oris,
Sive roſam mollem, ſeu candida lilia flabris
Decuſſit, pulchrumq́; recens ſpoliavit odorem.
Miratur reliquo ridentem in corpore formam,
Miratur bulbos & lumina grata coloris
Herbiferi cuſtos horti, & quo impenſius hæret
Fixus amore, magis miſereſcit mœſtus, & ipſos
Incuſans ventos culpat: Sic maximus Heros
Et decus, & famam, & magni geſta inclyta fratris
Quo magis admirans verſat, vehementius inſtat
Luctus, & infeſto quatit intus viſcera planctu.
Georgius Haſſiæ Landgravius cum Illuſtri filio.
At quo nunc etiam verſu, quo carmine dicam
Te quoq; mœſtitiæ comitem, partemq́; doloris
Immenſam tanti, Princeps divine Georgi,
Ingentis ſoboles & fama æterna Philippi,
Audivere tuum natiq́; illuſtris amatæ
Pegaſides fletum, cùm funere pallidus illo
Ingemeres, multaq́; ipſæ gemuere querela.
Dii tibi ſint faciles, & quæ magno ultima fratri
Munera perſolvis, quondam tibi reddita multis
Fœnoribus referant alii, cùm longa ferentem
Secula, Neſtoreosq́; æquantem ætatibus annos,
Ultima ſub patrias mandabunt funera tumbas.
Quod tamen in multam referant ut fata ſenectam,

Incolumem ſervet pater, & munimine firmet.
Ductores triſti veſtigia lenta trahentes
Mœſtitia, proceres aulæ, magniq́ ſequuntur
Ingeniis uſuq́ patres, quibus aurea linguam
Suada favo, mentem donis prælustribus auxit
Cynthius, & placidis ſapientia candida pennis.
Hi cum magnanimo nuper patria arva Vilelmo,
Et gentem rexere piam, dum juris & æqui
Obſequia aut dictis prudentibus, & prece miti
Perſuadent humili ac juſto, vel carcere & atris
Innectunt pœnis reprobo, quàm nomina vellem
Condere, & æternis inſcribere digna Camœnis,
Ni pondus Muſæ majus foret; attamen olim
Tempora erunt nobis, & erunt etiam altera dona,
Cum mihi & Hundiaden magnum, celebremq́ Minerva
Antrechtum, doctumq́ foriq́ & juris Amandum,
Et Magnum Latiæ & Francæ decus utile linguæ,
Heugeliumq́ bonum Muſis, Themidosq́ diſertæ
Hombergum ſtudiis notum, dicetis amatæ
Pierides, majorq́ meis Deus annuet auſis.
Nunc lachrymas memoraſſe ſat eſt, quibus inclyta terræ
Funera mandarunt Herois, & in ſua verſi
Pectora ſubreptum patriæ flevere parentem.
His unà in mœſto triſtes gradiuntur amictu
Primates alii, vel quos ab Apollinis antris
Pegaſides miſere novem, quiq́ atria magni
Interiora ducis ſervant, ubi ad ardua rerum
Quæſita agminibus denſis numeroq́ frequenti
Conveniunt, ſenſumq́ animi in manifeſta reponunt,
Mille ſuper rebus gnari, quibus inclytus illos
Landgravius vocat, & precio conducit herili.
Pectora tenduntur, tenduntur & ilia luctu

Omnibus, & quà meta viam poſt funera monſtrat
Inſequitur, nigriſq́; dolor circumvolat alis.

Illuſtriſſimæ Heroinæ præcedentibus tribus gynæceorum magiſtris.

Poſtquam ritè ducum & procerum proceſſerat ordo,
Immenſum referens animoq́; & corde dolorem;
Haud procul à clara celebres Heroides arce
Landgraviæ, magni pridem decora alta Vilelmi,
Stipatæ famulis & fœmineo comitatu
Mollia ſedatis figunt veſtigia plantis,
Quaq́; pote extremum domini comitantur honorem.
Non illis Tyrio conchilis purpura fuco,
Non Seres, non jam argenti pretioſa feruntur
Munera, vel Lydiis baccata monilia gemmis.
Infula ſed nivea in tergum circumflua byſſo
Porrigitur, vultumq́; tegit tergumq́; volando.
Credibile eſt Syrias talem evaſiſſe per urbes
Jephte ſatam, roſeaſq́; genas roſea ora tegentem
Sindone, & albenti pallentia membra decore,
Cùm patris armigeri nimis inconſulta voluntas
Votam pro reditu arſuris decerneret aris.
Antè dolens virgo, & jam pallida morte futura
Circuit & montes, & conſita floribus arva,
Cunctaturq́; metu lethi, paſſimq́; dolorem
Dediſcit; mœſtam comites famulæq́; ſequuntur,
Et dulci ſermone levant, ſi fortè futuri
Terrores frangantur, & horrida mortis imago.
Dùm teneræ indulgent ploratibus Heroinæ,

Comites & dynaſtæ qui Heroinas ad ſepulturam P. euntes comitantur.

Cuiq́; ſuus comes eſt dextræ, qui ducere euntem
Attactu norit molli, curetq́; regendo.
Heduigen primus Waldeccæ gloria terræ
Franciſcus regit ipſe manu: Sulmone Sophiam
Editus Erneſtus: Chriſtinam Teuto gubernat
Landgraviam Præſul: Conſanguinitate propinquam

Barbaram

Barbaram habet juxtà Clario præſignis honore
Claurius: Haſſiaco nuptam Mariam Ludovico
Schenckius: at veteris natus de monte Doringi
Carolus heroi ſociatam jure Georgo
Excipit: egregiam de Mansfeldenſibus Annam
Schuerzelius, Phœbi decor & vir ſtrenuus auſis
Concomitatur, & ad mœſtum deducit honorem.
Incedunt pariliq; gradum moderamine figunt:
At non mens etiam parilis: nam fœmina ſemper
Frigidior, timidoq; magis propenſa dolori eſt.
Et ſua quemq; magis retinent mala: cernimus ipſos
Immanes licet & multa virtute, Leones
Triſte magis Lybicis rugire meatibus, aut cùm
Audax villoſam rabidis averterit antris
Progeniem, aut ſociæ perruperit ora Leænæ,
Telum immane adigens auſu prædator inulto.
Ergo incedentes lentè, gemitumq; trahentes
Difficilem, haud gradibus magis & tenero pede terram,
Quàm lachrymis fletuq; terunt, idemq; cadentum
Guttarum eſt graduumq; modus. Cùm Fulda dolentes
Aſpiceret ſenior, rorantem uligine barbam
Concuſſiſſe vado in medio fluctuq; ſonante
Fertur, & inſanas per ſpumea regna querelas
Congeminaſſe: ſenis morem gemitumq; ſecutæ
Nereides flevere udæ, peploq; revinctæ
Flumineo, in vitreis ulularunt triſte cavernis.
Ingemuere etiam ſilvæ, gemuere virentes
Najades, & quæ altis glomerantur Oreades arvis.
Namq; quis aut fletus oculis? animóve moretur
Mœrorem? qui tot molliſſima pectora tundi,
Tot lachrymis rubuiſſe genas, tot amara doloris
Signa dari aſpiciat: non hîc Marpeſia luctum

Saxa negent: altè gemat horrida Tygris, & ipſi
Pectora dediſcant commoti immitia Pardi.
IIII. *Proceſſere duces mœſtæ. Chorus inde puellarum*
Ordo, cui præſidet Georgius à Meiſenbuck. *Et matronarum inſequitur, quas celſa vel aulæ*
Effudêre gynæcea, aut miſere theatra
Urbis, vel patriis à finibus advexerunt
Connubia, & pulchri cuſtodia fida pudoris.
Has pia nobilitas decorat, virtutibus illas
Ambit honos, pactæq; exornat gratia tedæ.
Incedunt æquo diſcrimine, pallidus illis
It color immiſtusq; nigror: ſed civicus illas
Veſte atra cingit limbus, dumq; in ſua cedunt
Diſpoſitæ ordinibus veſtigia, mœſta pependit
Cæſarie plaga, ſubjectam terit inſtita terram.
Hic verò infundi ſeges amplior, ipſaq; denſis
Turba virûm agminibus ſtipari, aſt ordine certo,
Confuſamq; aciem docto prohibente magiſtro.
Ut ſua quemq; manent rebus ſpectata gerendis
Munera, ſic prior eſt ſtatione, locumq; tuetur
Præcipuum: hic quibus ampla ducis ſecreta Vilelmi
Credita: quiq; manu doctas perarare tabellas
Aſſueti peperêre decus: quiq; ardua ſervant
Ornamenta æris, gazæq; ingentis acervos.
Hic quoq; cuſtodes fidi, medicıq; ſalubres.
Quæſturæq; omnis præfecturæq; miniſtri,
Quos ducis ad cineres, & honorem mœſta ſupremum
Patria non paucis miſerunt rura querelis.
V. Ordo, quem dirigit Heidericus à Stockheim. *At non luctu etiam exiguo fremituq; Quirites*
Adſunt, qui patriæ cives frenare ſuperbos
Legibus, & gravium norunt moderamine morum.
His equitumq; greges primorum, equitumq; magiſtri
Junguntur, longuq; viri venatibus acres.

Tùm quibus officii pars eſt conceſſa minoris
Fortunâ: qui cornipedes frenare caballos,
Qui venatricis venabula ferre Dianæ
Ante ducem ſoliti. Tùm cætera turba per aulam,
Caloneſq; laboriferi, piſtorq; cocuſq;
Et lanii, & condi, & gens haud ventri [illegible] la promi.
Quid memorem tota collectas urbe [illegible]
Artificumq; tribus celebres, [illegible],
Deſpretorum operum [illegible] q; [illegible] ntes VI. Ordo, cui præeſt Erneſtus a Stockheim.
Quid matres etiam caſt [illegible] ra ſecutos.
Quarum cer [illegible] tener [illegible] aſq; puellas,
Caſtus adegit H [illegible] ſub ſocialia nondum
Denſa ſub [illegible] ymen: non ſic pluit ilice glandis
Terra gem [illegible] rimum, cum roſcida mane
In [illegible], gelidæq; rigent per rura pruinæ.
Qui [illegible] miſeroq; auram clamore fatigant,
[illegible] unt, nubemq; nigrantia compita ducunt
[illegible] efacta nigro, nigroq; colore.
C [illegible] cælo pluviam demiſit Orion,
[illegible] olvitq; atrum commiſta grandine nymbum,
[illegible] pectu eripitur cælum, regnantq; tenebræ.
Haud aliter nubes nigra ſub veſte retectis
A [illegible] cælum erigitur projecta, volatq; per urbem,
Per tecta, & multam commiſcet turbine noctem.
Ventum erat ad limen ſacrum, quò multa per urbem
Turbatam lachrymis, & funera deplorantem
Regia, convenere ſenum juvenumq; tuentum
Millia, tum matres lectæ, innuptæq; puellæ.
Diſcedunt magni Heroes, primuſq; parenti,
Qui magno inferias, & dona extrema ferebat
Mauritius, quos ſacrati ſub fornice templi
Regia ſublimi recipit ſubvecta columna,
Purpureis unde è ſtratis Tyrioq; paratu,

Exaudire ſacri poſſent & noſcere voces.
Et juxtà comites generoſi in parte ſiniſtra
Conſtituere locos: parte inferiore dynaſtæ
[illegible] ſedere thoris, quibus aſſidet iiſdem
Turba pari ſpaciis, qui jura fidemq́ tueri,
Qui cauſas orare ſolent, patriæq́ columnas
Subdere conſiliis tutis: tum proxima turba
Qui caſtos Phœbi lucos, ſacramq́ Aganippen
Incoluere, viamq́ animis ſuper aſtra tuen.
Hinc quæſturæ etiam Præfecturæq́ magiſtri
Accincti officiis adſtant, gnariq́ Quirites,
Quis urbes magnæ, quibus oppida dulcia curæ.
Deniq́ ut officii quiſq́ eſt virtute ſtatúve,
Diſtincti inter ſe ſpaciis diſtantibus adſunt
Mauritio Heroi, & nutu famulantur herili,
Compoſiti ad luctum cuncti. Chorus inde per amplum
Intendit laquear, reboatq́ ſonoribus omnis
Angulus: hîc miſeræ quæ ſit fiducia vitæ,
Quod decus, & ſpatium breve temporis, & breve rerum
Momentum ingeminant: hîc unde ferocia lethi
Exitia humano generi: hîc unde improba Clotho
Triſte ſub imperium regum quoq́ ſceptra ducesq́
Pertrahat, & magnos æquet cum plebe Tyrannos.
Scilicet hæc hæret labes ab origine prima
Primi hominis, ſtygiiq́ dolus manet iſte Colubri,
Qui deceptum aſtu verſuto & fraude maligna
Extorrem miſerè è patria, rebusq́ ſecundis
Sedibus ejecit Paradiſi, ubi plena laborum
Hoſpitia in ſterili terra excepere cadentem,
Objectumq́ adeò letho & terroribus atris
Exagitant, dum vivit egens miſerisq́ propinquat
Manibus: inde ſopor lethi manet æneus, inde

Migrandum

Migrandum haud dubiè eſt ſemel omnibus, urnaq́; fati
Hos illosq́; vocat, nec quiſquam Acherontis avari
Impunè horrendum ſapiens iter exuperarit.
Omnes meta manet ſuprema, imisq́; ſepulchrum
Et ſummis patuit: Sed & additur unde ſalutem
Conficere, & ſuperas liceat remeare ſub auras:
Hoc tu Chriſte facis patris omnipotentis imago,
Tu ductorem Erebi immanem ſub nocte profunda,
Tergeminumq́; canem fregiſti, & inhoſpita Ditis
Littora: te contra vetitis inſultibus audax
Cum rueret, bellumq́; tibi conamine miro
Nequicquam inferret nigri graſſator Averni,
Occubuit victus virtute, domumq́; relictam
Antraq́; conſpiciens ſpoliis viduata ſuperbis,
Quin ſe contemptum nimis, ac captiva trahentem
Colla manusq́; ambas, ſparſosq́; in ſanguine dentes,
Ingemuit, gemitu ex illo collapſa repentè
Procubuit, vaſtamq́; dedit domus atra ruinam.
Qua ſimul Eumenides, ſimul eſt exterritus amnis
Cocyti, & ſubito manes fugere tumultu.
Tùm reſerati aditus cœli, pulſisq́; tenebris
Aurea lux iterum mundo affulgere redempto.
Hoc tu Chriſte facis, quem qui prendêre ſalutis
Præſidium, nihil his lethi metuenda nocet vis,
Nil Hecate, aut Stygiæ vis imperioſa Lavernæ:
Sic chorus integrat. Cùm ſacra in veſte ſacerdos
Conſcendit cathedram, qui docto plurima fatu Concio à R. viro M. Barthelomæo Meiero Superatten. habita.
Differit: ut læti fœlicesq́; ætheris alti
Hoſpitiis, ubi vita potens in ſecula ſecli
Omnis, & haud unquam rerum peritura voluptas, Apocal. 14.
Lætentur, mundiq́; odium rigidosq́; dolores
Effugiant, qui Chriſte tibi moriuntur, & in te

E *Conſiſi*

Conſiſi mentem invictam per fata tulere
Dura, tuoq; ſuas lavere in ſanguine culpas,
Immunes ſcelerum mundi; nunc aurea ſedes,
Aurea nunc illis requies per ſidera nota
Redditur, & vitam merces ſua quamq; ſecuta eſt.
Tùm latè egrediens porrò ſermone diſerto
Plura ſuper charo memorabat principe, plura
Dicturus, niſi ſe properet tincturus Ibero
Flumine Phœbus, & exſuperet præſtantia linguam.
Hic canit ut pulchræ cæleſtia ſemina vitæ,
Parentes. *Naſcenti placidè, cœliq; faventibus aſtris,*
Regius, & regum veterum per lata Coronam
Tempora, villoſamq; comam, villoſaq; membra
Corpore verſicolore gerens Leo, Rutaq; *gentis*
Saxonicæ dederit celeberrima. Namq; Philippum
Terroremq; ducum, & multa virtute ferocem
Cattigenam quiſnam ignoraverit? illius olim
Stirps vetus, & regum ſoboles Chriſtina. Georgii
Nata ducis, ſuperùm nutu de pacta hymenæis
Venit in imperium Cattæ telluris, ubi ipſum
Edidit Heroem placida Junone Vilelmum,
Egregium belloq; ducem Muſiſq; futurum,
Ac pacis columen ſanctæ, quà Fulda ſonantem
Urget agens undam fluvio, & Mavortia ſindit
Mœnia, Caſſellas veteres: non immemori lle
Congenitæ virtutis, ad ardua tempore primo
Surgere cœpit humo faſtigia, nec minor ipſo,
Quem terraq; mariq; ingens tùm fama canebat,
Patre, viam cælo calcare, iiſdemq; parentem
Viribus, & meritis iiſdem exæquare ſequendo.
Indoles. *Utq; ſolent Nemeæ fortes ſub rupe leones,*
Inſita quos virtus, & amor generoſus agendi

Sollicitat,

Sollicitat, primæ confeſtim ab origine vitæ
Arrectos haurire animos, iræq́; tument is
Paulatim ignitum aſſueſcendo colligere æſtum:
Sic illum cognatus amor rimatur, & intra
Progeniem natura Patris vim promovet omnem,
Invitantq́; ſuis exempla domeſtica geſtis.
Ergo ſacrum inprimis numen veneratur, in uno
Numine ſpem figit, quæ quantum accedit ad annos
Radices agit ipſa magis, porrectaq́; latè
Arboris in morem compta, foliisq́; ſuperba
It cœlo, cui perpetuo nitidiſſima fructu
Religio & pietas animo ſociantur eodem,
Ac ſimul Aonides doctæ. Nam proxima regum
Ornamenta ducumq́; animis & in artibus eſſe
Caſtalidum, à pietate ſacra cognoverat. Ergo
Noctes atq; dies inſudat, & aſpera victor
Saxa per & ſcopulos fertur, dùm mollibus undis
Accipiant Muſæ, ſacroq́; in vertice ſiſtant
Victorem famamq́; addant, quæ præpete vectum
Alite trans omnem, Europamq́; Aſiamq́; calentem
Siſtat, & æternis memoret victura libellis.
Hic cœli peragraſſe domos, pulcherrima regna,
Adjicit, & ſedes ſeculis ubi pulchra ſerenis
Sidera, perq́; vicem volvuntur, & ordine certo
Nunc & diram hyemem, & Borealis frigora Cauri
Per terras Pontumq́; ferunt, nunc vere reverſo
Aſtrictam ſolvunt glaciem, penitusq́; recluſis
Cunctiparam placide terram fovere Cavernis.
Magnum opus, & verè dignandum heroibus. O quem
Secula te quondam memorabunt mille Vilelmum,
Si mundus ſuperet tamen, & fortuna ſuperſit
Artibus, ingenii qui tot monumenta relinquis

Pueritiæ exercitationes & ſtudia.

Æterna, & memori hanc famam poſt fata nepoti
Tranſcribis. Poſthæc digreſſus ad horrida Martis
Deflectit, multaq́; lubens ambage moratus
Horrida belligeri canit arma & prælia Martis,
Quid virtute feroce animoq́; ad bella parato
Præſtiterit: nondum juvenis, nondum arma coruſcis
Horrida fulguribus, radiantésve ære phalangas
Noverat, aut dubio quàm ſit victoria plauſu,
Cum pater & galeam duram, clypeumq́; nitentem
Das Mavors, lateriq́; acrem circumligat enſem,
Fortunamq́; addens operi mentemq́; virilem,
Hæ tibi erunt artes (inquit) pater arma Philippus
Iſta tulit prior, & magnis ſeſe intulit aſtris.
Nunc nec opis noſtræ, nec magnæ mentis egentem
Cæſaris invidia & duri preſſere labores,
Carcere devinctum nigro, dedit iſta novarum
Albanus fraudum fabricator damna: ſed illinc
Eripies facile, & jucunda in luce repones.
Tu modo collecto hoſtilem cùm milite terram
Ingredere, atq́; inimica tuos quate rura per Heſſos.
Territus inſuetis auſis & fortibus armis
Deſinet irarum graviorum Cæſar, & ipſum
Sponte ſua in patria reducem tibi ſiſtet arena.
Vix ea bellorum pater horridus, armaq́; rurſus
Sueta, novasq́; acies animoſis imperat Heſſis.
Mox animum incendi & circum præcordia motus
Exultare novos ſentit, juvat ire patremq́;
Aſſerere, & prima Martem tentare juventa.
Tunc lectas peditumq́; acies, equitumq́; phalangas
Turmatim è patriis exire & fortiter arvis
Aſpicias, magnumq́; auſis & pectore forti
Heroa in bellum dilectos ducere Cattos.

Omnibus

Omnibus idem amor eſt patriæ ſervare Parentem,
Proq; illo vel fata pati, vel vincere in armis,
Quò fortuna vocat parentq; ruuntq; volentes.
Ac jam digreſſis patria & vexilla ſequutis
Fortia, panduntur recluſis oppida portis
Obvia, & antiquis quaſſata mœnibus urbes,
Quà veniunt: fluvio quà Tubera turbidus, & quà
Septem magnarum felix generator aquarum
Danubiusq;, & Vindelicis Lycus æſtuat arvis.
Nec legati abſunt, qui pacem & dona ferentes
Conſortes in bella manus & fœdera jungunt,
Ne decus imperii vetus, & collapſa fatiſcat
Libertas. Solùm Tyrolis fortiſſima contrà
Præſidium locat, & ſe fortibus abdit in armis,
Haud tamen effectu dextro, conamen in hoſtem
Volvitur, ac ſtragem proprius ſibi provocat auſis.
Vix etenim magnus belli moderator, & auſpex
Mauritius celerum fato priùs agmen equorum,
Et peditum denſos cuneum præmiſit in hoſtes, Sleidanus lib. 24. de geſtis Anno 1552.
Mox fuſæ occumbunt turbæ: pars maxima vaſto
Nare Lyco merſi; pars ferro & glande perempti
Expirant dulces per vulnera fortia vitas.
Obſtat adhuc unum cœlo munimen aperto,
Aerea ſunt arci data nomina, nomina fecit *Erenburgk ſive Mons æreus in montanis captus.
Aſperitas lapidoſa loci, & tellure ſub ima
Ditia quæ multis fodiuntur rura metallis.
Vix in conſpectum domus hæc quoq; venerat, alta
Rupe ſedens dorſoq; jugi inſuperabilis, illuc
Anguſtæq; viis fauces, aditusq; maligni
Per ſcopulos, per præcipiti cava ſaxa ruina.
Dant plenum curvis anfractibus ancipitemq;
Aſcenſum, faciuntq; etiam quà maxima meta eſt,

Vepribus & ſpinis denſis iter intertextum.
Ut ſimul intonuit juvenis, ſimul ipſe meatum
Anguſtum irrupit ſuperans, fremuitq; juventus
Haſſica, verticibusq; ruens inſedit iniquis.
Fit fuga, ſternuntur vigiles, & pondere vaſto
Limina portarum ſtrident convulſa, ruuntq;
Cardinibus: dedunt ſe mœnia capta, novemq;
Saxonibus Cattisq; ferunt Marchaq; profectus
Signa; fugam reliqui arripiunt, hoſtiq; boardus
Victori cæſi miſere & ſpolia ampla relinquunt.
Tunc magnus, poſito regni diademate, Cæſar
Magnanimis qui cuncta ſubegerat antè triumphis,
Turcigenamq; ſuis Solimannum averterat armis,
Dicitur inſolitum tali paviſſe tumultu,
Tergoraq; adverſis hoſti objeciſſe quadrigis.
Diripiuntur opes Italæ, Spanisq; fugatis
Saxonibus prædæ fortes diduntur & Heſſis.
Exin vincla patri ſolvi diuturna Philippo,
Paulatimq; graves animis aboleſcere flammæ
Cæſareis: cunctetur adhuc tamen ipſe, moramq;
Imperiis nectat Cæſar, niſi preſſa gemiſcat
Teutonia, infeſto quatiantur & oppida bello.
Ergo Electorem ſociatum fœdere ſacro
Mauritium, fortemq; auſis, & terribilem armis
Marchigenam Albertum ſequitur, cupidasq; cohortes
Admovet urbi Helenes, quam flumine velifer alto
Perſtringit mediam Mœnus, Rhenoq; propinquat.
Hanc quatit, hanc igni toties plumboq; fatigat
Injecto, & gravibus commiſto pulvere ſaxis.
Audit equos, audit ſonitus, auditq; tonantes
Sulphuribus ſaxisq; globos, refugitq; ſub antrum
Mœnus, at impulſu gemuerunt mœnia vaſto.
Ergo diſcedi ſumptis jubet arbiter armis

Imperii

Imperii, lectasq́; domum perferre cohortes.
Nec mora dimittit captivum impunè Philippum,
Nunc auſis reducem nati. Dii præmia tali
Reddite virtuti, non hæc humana vel ortu
Mortali pietas: memores quin diſcite ab illo
Exemplo juvenes, quæ vos reverentia, quæ vos
Obliget immemores ſæpè & nil tale morantes
Relligio in charos pietasq́; immenſa parentes.
Haud aliter cæde è media, flammisq́; ſonoris
Trojugenam Anchiſen quondam Trojanus & ipſe
Extulit Aeneas genitorem, humerisq́; reponens
Eripuit proprio Danaûm de cæde periclo.
Iſta ſuper belli virtutibus ille: ſed inde
Et thalamum canit, & pacti dotalis honores, Matrimonium cum Illuſtriſſima P. Sabina.
Quos illi ante alias fortunatiſsima Nymphas,
Osq́; Deæ ſimilis vultumq́; Sabina decorum
Firmavit, de gente genus prælustre parentum
Teccigenûm, & magni ſtirps inclyta Mompeligardi.
Nam ne fortè domus ſine gente & ſtirpe futura
Haſsica, tot magnis quondam defuncta tropæis,
Deficeret, ſpretive omni ſine honore jacerent
Arboris egregiæ rami, vel ſorte maligna
Haſsiaca externis premerentur rura Tyrannis;
Conſortem Heroi celebrem ſociare Sabinam
Complacitum, tantaq́; genus de ſtirpe tueri
Divinum. Ergo jugis venit celeberrima Suevis
Chriſtophori nutu patris, magniq́; Philippi,
Ac domino auſpiciis magnis data nupta Vilelmo eſt.
Concrevere duæ ſtirpes, Herosq́; Vilelmus,
Heroisq́; oculis flagrans, & fronte Sabina
Siderea, nec mente minor vultuq́; modeſto.
Hinc ſata progenies Diis acceptiſsima, magnus

Mauritius,

Illuſtriſſ. thalami pignora. *Mauritius, qui cuncta patri vultumq́, animumq́,*
Et divæ ſimilis genetrici, ipſiq́, Philippo,
Fortunaq́, animiq́, bonis præſtantibus annos
Antevenit, ſummoq́, viam maturat olympo.
Hinc quoq́, Chriſtiades, & pignora plura, ſed alta
Nocte ſopor lethi teneris plantaria in herbis
Suſtulit & molles cœli tranſmiſit in hortos.
Naſſoviis ſuperat fauſto data numine tedis,
Mente animoq́, ferens vultuq́, Maria Sabinam.
Heduigeq́, potens virtute, pudore Sophia,
Et Chriſtina oculis nitidis & fronte decora.
Semideæ verè & nulli pietate ſecundæ,
Seu genus & mores, atq́, ardua culta pudoris
Divini, aut ſtudium ſpectes pietatis avitæ.
Dixerat hæc etiam vates, viſumq́, tacere eſt
Velle dolore, modumq́, dato ſuperaddere fine.
Haud tamen (inquit) & hoc ætas taciturna ſilebit
Poſtera, & oblita reticebunt mente minores,
Quòd ſacra plus ſemper quàm propria, quàm ſua vivus
Amplexusq́, fide cultuq́, profeſſus aperto eſt.
Eccleſiarum ſcholarumq́: auxilia. *Ante oculos ſpecimen doctarum illuſtre ſcholarum*
Felices umbræ nimium, felicia templa,
Quis ſacer & ſcoria errorum purgatus inerti
Auditur cultus, quæ cuncta ingentibus Heros
Sumptibus, atq́, animo ſapiente & divite cenſu
Fundavit, partimq́, ſtatu meliore reſarſit,
Principis egregij monumentum & divitis arcæ.
Tùm verò geſtire animis, ubi ſacra doceri
Oracla, & divis data copia ſacramentis
Poſſe frui; non his auri argentiq́, talenta,
Ditiaq́, inventas Arabum per littora gemmas
Prætulerit, quin externo ſub ſidere reges,

Cognatosq́,

Cognatosq́; duces patefacti ad munera verbi,
Allicere, atq; opibus ſegnes dictisq́; vocare.
Quid memorem linguarum habitus? quid munera vocum
Diſtincta? & magnis commercia regibus, & cum
Principibus firmata? quibus velut alter ab illo, Amicitia cum regibus principibusq; contracta.
Quem Delphis Cyrrhæq́; ſacrum coluiſtis, Apollo
Conſilia ex adytis animi dabat: addit & aulæ
Diſciplinam, addit mores. & munera Pacis
Dilectæ; Pax (inquit) agros, pax oppida, & urbes
Te patriam moderante, Vilelme, togamq́; iuvante Pacis amor.
Incoluit; viden' ut Ceres ipſa Paliq́; propinquæ
Triticeæ aſſurgant meſſes, ubi montibus altis
Aſper egensq́; ſiti campus fuit, arvaq́; ſulcis
Damnatis riguêre, ubi ſaxa & ſaxea ruris
Tergora, nunc pleno rident iuga ſumma quotannis Iuſtitiæ cultus.
Proventu, ac curvi ſtudium ſolantur aratri.
En urbes etiam lætas, en oppida læta
Iuſtitiâ, & tutum medios iter ante latrones.
Quin etiam extructæ ab humo ſuper aëra turres, Aedificationes præceteris multis inſignes.
Mœniaq́; ingenti Martem eludentia vallo
Conſpicis: hic muro inſolito, lacubusq́; profundis
Caſtella aſſurgit vetus; at ſedet intus opum vis
Legiferæ Cereris ditiſſima, & horridus ære
Mille ſuper vaſta tonat arma Gradivus in æde
Mulciber: hic pulchra ad rapidum Meloſungia Fuldam:
Hic Roteburga ſedet: vicino hic proxima Franco
Regales arces Schmalkaldia tollit, ab uno
Hæc tibi ſunt tellus & erunt poſt Haſſica, ſi te
Omnipotens curet pater, atq; hæc munera ſervet.
Plura locuturo ſingultus verba profundi
Præcidunt, lachrymæq́; ruunt ſuper ora refuſæ.
Si quid adhuc ſuperat vocisq́; animiq́; ſupremum

Dat votum, miſcetq́; preces: anima inclyta cælo
Vive anima (inquit) at hic placida requieſcite terra
Felices umbræ, donec novus ætheris alti
Rore ſacro vos ſpiritus irriget, & ſua cuiq́;
Membra renaſcantur. Tuq́; ô qui regna ducumq́;
Imperia, atq́; ipſos adeò moderare Tyrannos,
Mauritio fer opem juveni, patriisq́; paratam
Hanc animam reple ingeniis, tibi ſerviat uni,
Hæreat in te uno, placeat tibi, teq́; parentem
Obſervet, populumq́; tuum, populiq́; magiſtros
Dirigat arbitrio recto: Sic vota parentis,
Sic populus velit, & Cattûm gens mœſta precetur.
Hactenus, & modico curvans genua incita flexu
Diſcedit, poſitoq́; thorum ſermone relinquit.
Jamq́; peroratus ſermo, factaq́; quiete
Deſierat myſtes, cùm flebile carmen in auras
Attolli rurſus, miſceriq́; agmine toto
Plangentumq́; dolor pariter fremitusq́; tuentum.
Intereaq́; chorus cantu dùm buſta ſupremo
Proſequitur, ſpondetq́; ſacras fore rurſus ut auras,
Utq́; redux patrium Princeps conſurgat olympum,
Demittunt alii gremio telluris, at illi
Deſuper obtendunt cortinam & funus inumbrant.
Parte chori locus eſt, nitidum quà reſpicit ortum,
Deſcribitur Epitaphium ſive monumentum Philippo Seniori Landgr. erectum.
Hic mauſolæum magno ſtatuere parenti
Landgravio multosq́; ſacrum ſervatur in annos
Ingens, marmoreum, varioq́; emblemate cæſum.
Stat pater ad dextram frameaq́; coruſcus, & enſe
Fulmineo, ſic fulmen erat, ſic ibat in hoſtes,
Hos oculos, has ipſe manus, hæc membra ferebat
Arduus arma fremens, quoties Bellona vocabat,
Marte laceſſitum immeritò; ſedet aurea criſtis

Caſſis

Caſſis ad ima pedum; nudum caput, aurea circum
Colla riget torques; thoraca armosq́; pedesq́;
Ferrea veſtis obit: magni talem Herculis olim
Credibile eſt ferro riguiſſe auroq́; trilici,
Quando Erymanthæum multa vi perculit aprum,
Aut face Lernæam ferroq́; coërcuit hydram.
Ipſa modeſtarum decor & nova gratia matrum
Margine ſtat lævo Chriſtina, oculisq́; pudorem
Divinum geſtuq́; refert, fluit inſtita, & Indos
Purpura multiplici per Seres picta Mæandro.
Multa opere in medio hiſtoria eſt, rerumq́; priorum
Marmore geſta nitent Lydio: faſtigia ad ipſum
Tolluntur laquear, validis quæ fulva Leonum
Corpora ſuſtentant amplexibus, ipſaq́; circum
Limina luxuriantq́; coma, luduntq́; jubatæ
Roboribus caudæ ſtrictis: (juvat acribus uſq́;
Perlegere hæc oculis) ſuprà de caſſide terna
Et cythiſi folia alta virent, capriq́; profundum
Exercent ſaltum in præceps, ac Martia criſpant
Cornua; rugitumq́; minantur ab ore Leones.
Fundamento operis medio, tellure ſub ima
Eſt ſpecus, exciſum validi de robore ſaxi.
Principibus mos eſt hic condier, hic requietem
Carpere & extremæ adventum ſperare diei,
Quâ ſurgent, iterumq́; artus, iterum oſſa videbunt
Illa, quibus vitas quondam exegêre priores.
Huc quoq; delatum placidè, juxtaq́; Sabinam
Conſortem, magnumq́; patrem, manesq́; ſuorum
Depoſitum clauſere ſolo: Capit ille ſecundis
Auſpiciis lætum per membra jacentia ſomnum:
Iſti diſcedunt triſtes, ſortemq́; faceſſunt

 Exigua

Exigua ingentem vita: ſilet omnis, & altè
Haſſia funereo requieſcit mœſta dolore.

FINIS.

'Ε Π Ι' Δ Ο Σ Ι Σ,

QVA ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO MAVRITIO Haſſiæ Landgrav. &c. deditionem poſt Illuſtriſſ. parentis obitum à ſubditis poſtulanti patria gratulatur.

MAuriti laudate nepos Philippi,
Cujus ad Martem pavefactus Iſter
Fugit, & latè tremuere fracti
Cornua Rheni.
Qui ſuæ in terris moriens Vilelmum
Liquit heredem pietatis, à quo
Dulce virtutum jubar univerſum
Permeat orbem.
Permeat gentes, neq; ſidit antè,
Quàm per Europamq; Aſiamq; & ipſos
Ultimos ſub mundi Oriente ſummo
Tranſeat Indos.
Dùm velut ſidus Joviale claro
Imperi fulget ſuper orbe doctæ
Palladis cultu, peragratq; pulchri
Limina cæli.
Dumq; jucundæ geniale paci
Brachium ſupponit, & exulanti
Hinc & hinc, dulce hoſpitium quieti
Promovet ocij.

Ecqua

Ecqua te porrò premit inquietùm
Cura? nec tantis fore rebus æquum
Arguit primæ viridem ſub ipſa
Pubc juventæ?
Tolle non æquam procul inde curam,
Deq; te charis potiora Cattis
Dona perſuade, & tibi finge mentem
Diis quoq; dignam.
Finge virtutes tibi, finge quicquid
Principis magni decus, & decori
Poſtulant mores, & opes & alto-
Rum atria honorum.
Sunt tibi Phæbi ſacra: ſunt virilis
Ingenl dotes, ſapientiæq;
Mille theſauros tibi pandit alti
Rector olympi.
Pandit & gazas, & amica fandi
Dona facundo, docilemq; recti
Largiens mentem potiore donat
Lumine verbi.
Hinc tibi veræ via nota metæ,
Hinc iter cœlo rapiens, ſiniſtrumq;
Omne declinans ſpacium, & doloſum
Melle venenum.
Hinc & in juſtos tibi prompta mens eſt:
Aſper in ſontes rigidusq; flecti
Fervor, ac caſum benè præparatum
Pectus in omnem.
Nec tibi Mavors minor, & cruentum
Zelus in bellum, niſi malit hoſtis
Creditum pugnæ caput incruentæ
Subdere paci.

Regium verè genus: unde Othones
Priſci, & Henrici celebres, & ipſe
Pòſt renaſcetur pater, & beati
Fama Philippi.
Hei mihi cum ſic tibi vere primo
Tanta virtutum ſeges aurearum
Surgat, autumno veniente quanta
Laude fereris?
Macte nunc tantis animi ingeniq;
Eſto fortunæq; opibus relictis
Mauriti, & magnis animum paratum
Adjice rebus.
Cernis ut blandis tibi ridet æther
Vultibus, quàm te populi volentes
Principem acceptant, ſubeuntq; prompti
Sub tua jura?
Hic tibi pingui Dimelus fluento
Weſtphalus plaudit: ſonat altus iſthic
Albis, & denſa rapidus per arva
Empſa palude.
Nec tibi ſolùm reſonant minores
Amnium ripæ: pater ipſe lætos
Excitat fluctus, patuliſq; plaudit
Fulda ſub antris.
Plaudit & Schualmæ chorus, aureoq;
Aedera exundans fluvio, celerq;
Jam tibi pulchrè fremit æſtuanti
Werra ſonorè.
Quin tibi Lanus ſacer obviante
Procidit cornu, dominuſq; Rhenus
Subditas volvit per aprica rura
Cum rate Nymphas.

Macta

Macta Guilelmi ſoboles ſecundo
Sidere aſſueſcas tibi ſubditarum
Gentium dici pater, & paternam
Dilige terram.
Dilige & Phœbi ſtudia: & ſacratam
Cœlitus miſſæ pietatis auram,
Sola quæ rerum dominos ſecundis
Evehit alis.
Sic tibi longis ſtabilita fatis
Vita floreſcat: neq; ſortis atræ
Durus adverſis tua Regna mergat
Turbo procellis.
Sic patris virtute, & avi Philippi
Fortibus lætum auſpiciis ſenectus
Tarda ſubducat, maneantq; ſeri
Tempora fati.
Sic ubi tandem tibi dormiendum eſt,
Non tegat ſolùm pia terra: ſed te
Incolam cœli celebret perenni
Fama triumpho.
AMEN.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Caſpar Sturmius.